



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Constantien. Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

obedientiam vestram accedere non curavit. Volentes autem, sicut tenemur, matri filiam & membra capiti continere, cum & vos circa receptionem fratrum vestrorum vos non debeatis exhibere difficiles, sed benignos, ut eos Christo lucrifacere valeatis, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus atque precipimus quatenus eundem B. ad vos humiliter redeuntem, & fratres, quos ipse recepit, suscipiatis humiliter, & fraternam caritatem tractetis, & inter Ecclesias vestras suscipiatis Ecclesiam quam construxit. Verum quia de voluntate venerabilis fratris nostri Avinionen. Episcopi & patroni ejusdem Ecclesiae procedit affectu ut eidem Ecclesiae in Priorem Clericus praeferatur, cum & vos quibusdam cellis vestris Clericos duxeritis praefereudos, volumus nihilominus & mandamus ut vel eidem Ecclesiae Clericum praeferatis, per quem secundum regularem observantiam vestri ordinis salubriter gubernetur, vel dictum B. & memoratum fratrem ipsius, qui ex facta vobis professione tenentur, a jugo obedientiae absolvatis, ut ibi de cetero absque inobedientiae culpa valeant Domino famulari. Quod si neutrum facere volueritis, ne ipsis perditionis materiam praebemus, aliter saluti eorum curabimus dante Domino providere. Datum Laterani III. Kal. Februarij.

CONSTANTIEN. EPISCOPO.

O Vid ad consultationem, quam nobis nuper fecisti de duabus partibus decimae frugum feudalium, quas laici tanquam feudum suum religiosorum domibus volunt conferre, Presbyteris reclamantibus & invititis & ad suas Ecclesias, unde laici percipiunt sacramenta, decimas ipsas asserentibus pertinere, debeat responderi, per decretalem epistolam ad aliorum postulationem in simili casu dudum a nobis emissam, cujus rescriptum fraternitati tuae de verbo ad verbum duximus transmittendum, perpendere poteris evidenter. Ei autem quod a nobis similiter postulasti, utrum appellationi sit Clerici deferendum, qui purgationem indictam sibi per sententiam, & ad ipsius receptionem terminum competentem, puta viginti dies vel amplius, sine contradictione recipiens, & ad diem veniens, consequenter appellat, causam non exprimens appellandi,

nec sit locus, nisi suscipiendae purgationi, & executioni sententiae, a cujus latione ac purgatione injuncta ultra * decennium dicitur effluxisse, taliter credimus respondendum, quod cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicatae, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit, cum per hoc videatur per interpretationem juris latae sententiae paruisse; praesertim ubi causa non redditur appellandi. sed nec executionem ipsius sententiae ideo convenit retardari, licet ad hoc agendum quadrimestre tempus regulariter sit statutum, quia id arctari potest nonnunquam a sedente in medio, & etiam prorogari, & qui ab initio sponte recepit terminum breviorum, imputare sibi potest & debet, cum ex hoc videatur amplioris beneficium contempnisset. unde talis non audietur appellans, nisi forte adversus eum modus executionis canonicus excedatur. Datum Laterani III. Idus Ianuarij.

VVACIEN. ET CENADIEN. Episcopis, & Abbati Siricen.

C Vm dilecti filij S. Abbas de Felduar & magister Obertus nuntius venerabilis fratris nostri Quinqueecclesien. Episcopi pro quaestione qua vertitur inter eundem Episcopum & ipsum Abbatem, ad nostram praesentiam accessissent, nos eis dilectum filium nostrum G. sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Card. concessimus auditorem. In cujus audientia Abbas proposuit memoratus, quod cum esset in prociectu itineris ad Romanam Ecclesiam veniendi, & supradictus Quinqueecclesien. Episcopus ad monasterium suum hospitandi causa venisset, privilegium quod clarae memoriae B. quondam Rex Vngariae super Ecclesiae suae libertate concesserat, quam a jurisdictione prorsus Episcopi exemptam esse proponit, & pecuniam, quam paraverat ad expensas itineris, illi abstulit violenter, ipsumque in quodam clauastro Cistercien. ordinis carceri mancipavit, ne posset vel ad Regem ire, vel Romanam Ecclesiam visitare. Subsequenter vero cum ad abbatiam suam eum dictus Episcopus remisisset, & coram Rege proposita super hoc querimonia fuisset inficiatus se privilegium ejus & pecuniam accepisse, dictus Abbas, ut suis & Ecclesiae

* f. decem dies

Epif. 544.
Committit cognitionem controversiae inter Episcopum & Abbatem.

Epif. 544.
Nisi appellatio intra decem dies inest, non ponatur, sed in rem judicatum.